superfusi liquoris operiret.
Matronam ita usque ad summum
labrum plenum vasculum rece-
pisse, ut praepositus hodieque fa-
teatur obdendi pessuli quo
claudi diligentius servanda
consuerunt ministro illo spa-
tium non fuisse. Et illud
quod sive me aut intuebar
meminimus contigisse. Vas vitre-
um oleo quod Martinus benedixe-
rat in fenestra paululum
editiore deposuit. Puer fa-
miliaris incautior linteum
superpositum ampullula ibi
esse ignarus attraxit. Vas
super constratum marmore
pavimentum decidit. Cunctis
metu exterritis ne benedictio
deperisset, ampullula per-
inde incolumis est reperta
ac si super plumas mollis-
simas decidisset. Quae res
non potius ad casum quam ad
Martini est referenda vir-
tutem, cuius benedictio perire
non potuit.

Quid illud quod factum
est a quodam cuius nomen
quia praesens est et prodi se
vetuit supprimetur. Cui quod
tempori sive etiam Saturninus
interfuit: Canis nobis im-
portunior oblatrabat. In
nomine inquit Martini iubeo
te obmutescere. Canis haesit
latratus in gutture, linguam
ut abscisam putares, obmu-
tuit. Ita parum est ipsum Mar-
tinum fecisse virtutes, cre-
dite mihi quod etiam alii in
nomine eius multa fecerunt.

Avitianum quondam comi-
tem noveratis barbarum
nimis et ultra omnes cruenta
feritate. Hic rabido spiritu
Turonorum ingressus civitatem
sequentibus eum miserabili
facie ordinibus catenatis
diversa perdendis parari
iubet genera poenarum, di-
sponens postero die attonita
civitate ad opus tam triste
procedere. Quod ubi Mar-
tino compertum est, solus
paulo ante mediam noctem
ad praetorium bestiae illius
tendit. Sed cum profundae noctis
silentio quiescentibus cunctis
nullus foribus obseratis pa-
teret ingressus, ante limina
cruenta prosternitur. Interea
Avitianus gravi somno se-
pultus angelo ingruente